

AD ALEXANDRUM CURTESIUM

O_1 v.1 Nil me jam patula juvat
 2 saevo letiferam lumine Sirium
 3 devitare sub ilice,
 4 exceptum torulo gramineo caput
 5 bullantem prope rivulum.
 6 Jam sordet tremulo murmure palpitans
 7 illabens aqua calculis,
 8 longis Dauliados garrula questibus :
 9 jam sordent aviaria ;
 10 nil blandum est oculis, nil placet auribus ;
 11 odi ruraque nemusque
 12 et vallem et zephyros et gelidos specus.
 13 O qui moenibus inferat
 14 jam me ? O qui medio sistat in atrio
 15 urbani cupidum laris,
 16 Curtesi, o placido qui locet in sinu ?
 17 Cur mi non teneros datur
 18 totis versiculos imbibere auribus
 19 coram dulciter asperos ?
 20 Cur dextrae cupidam jungere dexteram ?
 21 Cur me, dulcis amicule,
 22 tu visum propera. O saeva necessitas !
 23 O cur frangere compedes,
 24 detrectare mihi cur juva non licet ?
 25 Sed quid fundere jam juvat
 26 nequicquam ad superos tot querimonias ?
 27 Sors cuique est sua, caelitus
 28 dependens homini : quin etiam Jovem
 29 urget dura necessitas.
 30 Quod Parcae annuerint, haud revocabile est.

IN ANUM

O_2 v.1 Huc huc, iambi ! arripite mi jam mordicus
 2 anum hanc furenti percitam libidine,
 3 tentiginosam, catulientem, spurcidam,
 4 gravedinosam, vietam, olentem, rancidam,
 5 cadaverosam, fronte rugosa, coma
 6 cana atque rara, depilatis palpebris,
 7 glabro supercilio, labellis defluentibus,
 8 oculis rubentibus, genis lachrymantibus,
 9 edentulamque (ni duo nigri et sordidi
 10 dentes supersint), auriculis exanguibus
 11 flaccisque, mucco naribus stillantibus,
 12 rictu saliva undante, tetro anhelitu,

13 mammis senecta putridis praegrandibus
 14 araneosis deciduis inanibus,
 15 cunno ulceroso, verminante podice,
 16 natibusque macris aridis et osseis,
 17 utroque sicco crure utroque brachio,
 18 talo genuque utroque procul extantibus,
 19 calcaneoque pernionibus gravi ;
 20 ut nil sit aspernabilius, nil tetrius
 21 monstrosiusque aut nauseabundum magis :
 22 quam pistor olim, caupo, calo, bajulus,
 23 et institores, et lanius, et carnifex,
 24 et muliones permolebant et coci,
 25 ceu prostitutam et sellulariam meram ;
 26 nunc nemo jam vult visere nemo colloqui,
 27 fastidit unusquisque et habet ludibrio
 28 anum subante perditam pruriginē :
 29 sed audet impudens tamen, audet impudens,
 30 procax, proterva, nec jam anus sed mortua,
 31 utcumque prurit (prurit autem jugiter),
 32 se postulare ut comprimam, sibi ut arrigam,
 33 quasi ipse verres quasi asinus sim vel canis.
 34 Abi hinc, abi, anus, in maximam malam crucem,
 35 abi scelestā, obscaena ; sive vera anus
 36 seu terriculum es seu larva bustuaria.
 37 Nam si optio mi detur, aedepol magis
 38 scrofam futuam quam te vel asinam vel canem.

IN LAURENTIUM MEDICEM

O_3 v.1 Quis dabit capiti meo
 2 aquam, quis oculis meis
 3 fontem lacrimarum dabit,
 4 ut nocte fleam ?
 5 Ut luce fleam ?
 6 Sic turtur viduus solet,
 7 sic cycnus moriens solet,
 8 sic luscinia conqueri.
 9 Heu miser, miser !
 10 O dolor, dolor !
 11 Laurus impetu fulminis
 12 illa illa jacet subito,
 13 Laurus omnium celebris
 14 Musarum choris,
 15 Nympharum choris.
 16 Sub cujus patula coma
 17 et Phoebi lyra blandius
 18 et vox dulcius insonat ;
 19 nunc muta omnia,
 20 nunc surda omnia.
 21 Quis dabit capiti meo.

AD IUVENTUTEM IN PRINCIPIO STUDII

O_4 v.1 Jam cornu gravidus praecipitem parat
 2 afflatus subitis frigoribus fugam
 3 Autumnus pater, et deciduas sinu

4 frondes excipit arborum.
 5 Cantant emeritis, Bacche, laboribus
 6 te nunc agricolae, sed male sobrios
 7 ventosae querulo murmure tibiae
 8 saltatu subigunt frui.
 9 Nos anni rediens orbita sub jugum
 10 Musarum revocat, dulce ferentibus ;
 11 porrectisque monent sidera noctibus
 12 carpamus volucrem diem.
 13 I mecum, docilis turba, biverticis
 14 Parnassi rapidis per juga passibus,
 15 expers quo senii nos vocat et rogi
 16 consors gloria caelitum.
 17 Nam me seu comitem seu, juvenes, ducem
 18 malitis, venio : nec labor auferet
 19 quaerentem tetricae difficili gradu
 20 virtutis penetralia.

AD INNOCENTIUM PONTIFICEM MAXIMUM

O_5 v.1 Si quod arcanis Helicon sub umbris
 2 carmen intactum fidibus priorum
 3 parturit, saxis iterum audiendum
 4 arboribusque ;
 5 quale nec triplex Achelois ausa est
 6 cautibus virgo residens marinis,
 7 nec puer Phoebi Ciconum remoto
 8 dicere in antro ;
 9 illud attritas repetita chordas
 10 barbitos docto moduletur arcu,
 11 dulcis interpretis animi piaequae
 12 conscia mentis.
 13 Namque te rerum caput, Innocenti,
 14 turpe vulgato cecinisse plectro est,
 15 cujus aurata triplices refulgent
 16 fronte coronae :
 17 Roma cui paret dominusque Tibris,
 18 qui vicem summi geris hic Tonantis,
 19 qui potes magnum reserare et idem
 20 claudere caelum :
 21 blanda cui vultu gravitas sereno
 22 ridet, invisos abigitque fastus,
 23 mitis et celsi radios potestas
 24 temperat oris.
 25 Sponte sublatos verecunda fasces
 26 deprimit virtus ; apicata tristi
 27 nube majestas caret, et decoro est
 28 splendida cultu.
 29 Ergo formosam redit in juventam
 30 seque jam laetos parat ad triumphos
 31 Roma, septenos hilaratque colles
 32 praeside tanto.
 33 Urbsque quae Phruxi speculatur undas
 34 exuet saevas propere catenas,
 35 ac suas nobis opulenta palmas
 36 mittet Idume :
 37 quippe concordem animos manusque

38 devovent reges tibi, seque ad arma
 39 conciat Turci sitiens cruoris
 40 Vesper et Arctos.
 41 Scilicet tales meditatus annos
 42 Juppiter fesso comes it parenti,
 43 quo tibi felix simul atque faustum
 44 proroget aevum.

IN LAUDEM CARDINALIS MANTUANI, BACCII UGOLINI NOMINE

O_6 v.1 O meos longum modulata lusus
 2 quos amor primam docuit juventam,
 3 flecte nunc mecum numeros, novumque
 4 dic, lyra, carmen :
 5 non quod hirsutos agat huc leones ;
 6 sed quod et frontem domini serenet,
 7 et levet curas, penitusque doctas
 8 mulceat aures.
 9 Vindicat nostros sibi jure cantus
 10 qui colit vates citharamque princeps ;
 11 ille cui sacro rutilus refulget
 12 crine galerus ;
 13 ille cui flagrans triplici corona
 14 cinget auratam diadema frontem.
 15 Fallor ? An vati bonus haec canenti
 16 dictat Apollo ?
 17 Phoebe, quae dictas, rata fac, precamur :
 18 dignus est nostrae dominus Thaliae,
 19 cui celer versa fluat Hermus uni
 20 aureus urna ;
 21 cui tuas mittat, Cytherea, conchas
 22 consciis primi Phaetontis Indus ;
 23 ipsa cui dives properet beatum
 24 Copia cornu.
 25 Quippe non gazam pavidus repostam
 26 servat, Aeaeo similis draconi ;
 27 sed vigil famam secat, ac perenni
 28 imminet aevo.
 29 Ipsa Phoebeae vacat aula turbae,
 30 dulcior blandis Heliconis umbris ;
 31 et vocans doctos patet ampla toto
 32 janua poste.
 33 Sic refert magnae titulis superbum
 34 stemma Gonzagae recidiva virtus,
 35 gaudet et fastos superare avitos
 36 aemulus haeres.
 37 Scilicet stirpem generosa succo
 38 poma commendant, timidumque numquam
 39 vulturem foeto Jovis acer ales
 40 extudit ovo.
 41 Curre jam toto violentus amne,
 42 o sacris Minci celebrate Musis !
 43 Ecce Maecenas tibi nunc Maroque
 44 contigit uni.
 45 Jamque vicinas tibi subdat undas
 46 vel Padus multo resonans olore,
 47 quamlibet flentes animosus alnos

48 astraque jactet.
 49 Candidas ergo volucres notarat
 50 Mantuam condens Tiberinus Ocnus,
 51 nempe quem Parcae docuit benignae
 52 conscia mater.

AD HORATIUM FLACCUM

O_7 v.1 Vates Threicio blandior Orpheo,
 2 seu malis fidibus sistere lubricos
 3 amnes, seu tremulo ducere pollice
 4 ipsis cum latebris feras ;
 5 vates Aeolii pectinis arbiter,
 6 qui princeps Latiam sollicitas chelyn,
 7 nec segnis titulos addere noxiis
 8 nigro carmine frontibus ;
 9 quis te a barbarica compede vindicat ?
 10 Quis frontis nebulam dispulit, et situ
 11 deterso levibus restituit choris
 12 curata juvenem cute ?
 13 O quam nuper eras nubilus et malo
 14 obductus senio ! Quam nitidos ades
 15 nunc vultus referens, docta fragrantibus
 16 cinctus tempora floribus !
 17 Talem purpureis reddere solibus
 18 laetum pube nova, post gelida nives,
 19 Serpentem, positis exuviis, solet
 20 verni temperies poli.
 21 Talem te choreis reddidit et lyrae
 22 Landinus veterum laudibus aemulus,
 23 qualis tu solitus Tibur ad uvidum
 24 blandam tendere barbiton.
 25 Nunc te deliciis nunc decet et levi
 26 lascivire joco ; nunc puerilibus
 27 insertum thyasis aut fide garrula
 28 inter ludere virgines.

AD GENTILEM EPISCOPUM

O_8 v.1 Gentiles, animi maxima pars mei,
 2 communi nimium sorte quid angeris ?
 3 Quid curis animum lugubribus teris,
 4 et me discrucias simul ?
 5 Passi digna quidem perpetuo sumus
 6 luctu : qui mediis, heu miseri, sacris
 7 illum illum juvenem vidimus, o nefas,
 8 stratum sacrilega manu.
 9 At sunt attonito quae dare pectori
 10 solamen valeant plurima : nam super
 11 est qui vel gremio creverit in tuo
 12 Laurens, Etruriae caput.
 13 Laurens, quem patriae caelicolum pater
 14 tutum terrificam Gorgone praestitit ;
 15 quem Tuscus pariter quem Venetus leo
 16 servant et draco pervigil.
 17 Illi bellipotens excubat Hercules,

18 illi fatiferis militat arcubus ;
 19 illi mittit equos Francia martios,
 20 felix Francia regibus.
 21 Circumstant populus murmure dissono,
 22 circumstant juvenem purpurei patres.
 23 Causa vincimus et robore militum :
 24 hac stat Juppiter, hac favet.
 25 Quare, o cum misera quid tibi naenia,
 26 si nil proficimus ? Quin potius gravis
 27 abstersisse bono laetitiae die
 28 audes nubila pectoris ?
 29 Nam cum jam gelidos umbra reliquerit
 30 artus, non dolor hanc perpetuus retro
 31 mordacesve trahunt sollicitudines
 32 mentis curaque pervicax.

HERODIANUS IN LAUDEM TRADUCTORIS SUI

O_9 v.1 Qui me transposuit Politianus
 2 verbis omnia reddidit Latinis,
 3 pulchro sensa revestiens nitore :
 4 mirum, transtulit Atticos lepores
 5 contextu numeroque blandiori.
 6 Romanus (juvat hoc) recens amictus,
 7 concinna speciem ferens ab arte,
 8 nobis conciliat patentiori
 9 gentes quae Latium sonant in orbe ;
 10 ut posthac mihi latius vagari,
 11 in plures liceat manus venire.
 12 Felix historiae fide renatae,
 13 felix exoriente luce tanta
 14 olim publica res Latina surget.
 15 Jam debes, studiosa turba, plausus ;
 16 laudis munere gratiam referto :
 17 aeger desinat utiles malignis
 18 livor carpere dentibus labores.

IN BARTHOLOMAEUM SCALAM

O_10 v.1 Hunc quem videtis ire fastoso gradu
 2 servis tumentem publicis,
 3 vel hinniente per forum vehi capax
 4 equo, quod omnes despuant ;
 5 turbam superbo praeterit fastidio
 6 qui civium stomachantium,
 7 gravique cunctos ora torquentes retro
 8 despectat insolentia ;
 9 intraque tutum moenibus pomerium
 10 agros patentes possidet ;
 11 villamque dives publico peculio
 12 insanus urbanam struit,
 13 ubi ocietur inter obscaenas lupas
 14 (ne turpiora dixerim),
 15 ubi ampla pergraecetur inter pocula,
 16 senex podagra rancidus ;
 17 hunc vos putatis stirpe forsan inclyta,

18 virtutis aut insignibus
 19 ad hoc volasse protinus fastigium ?
 20 Falsum putatis, hospites.
 21 Molas hic inter natus est aquaticas,
 22 gratus sodalis muribus :
 23 Fortuna ludens furfuris plenum tulit
 24 ad usque supremos gradus,
 25 monstrare gaudens arroget quantum sibi
 26 mortalis impudentia
 27 Ergo iste tantis arduus suffragiis
 28 nunc immemor natalium,
 29 ut quemque longo stemmate clarum videt
 30 aut dote rara nobilem,
 31 tristi veneno spargit et rodit statim
 32 rubiginosis dentibus.
 33 Non ipse se, fortuna non ipsum capit
 34 aura favoris ebrium :
 35 sic culmen altum lubrico premens pede,
 36 ventisque turbidis patens,
 37 casurus usque nutat et jam jam cadet,
 38 sed non gradatim scilicet.

IN PUELLAM SUAM

O_11 v.1 Puella delicatior
 2 lepusculo et cuniculo,
 3 Coaque tela mollior
 4 anserculique plumula ;
 5 puella qua lascivior
 6 nec vernus est passerculus,
 7 nec virginis blande sinu
 8 sciurus usque lusitans ;
 9 puella longe dulcior
 10 quam mel sit Hyblae aut saccarum.
 11 Ceu lac coactum candida
 12 vel liliū vel prima nix ;
 13 puella, cujus non comas
 14 Lyaeus aequaret puer,
 15 non pastor ille Amphrysius
 16 amore mercenarius,
 17 comas decenter pendulas
 18 utroque frontis margine,
 19 nodis decenter aureis
 20 nexas, decenter pinnulis
 21 ludentium Cupidinum
 22 subventilantibus vagas,
 23 quas mille crispant annuli,
 24 quas ros odorque myrrheus
 25 commendat atque recreat ;
 26 puella, cujus duplices
 27 sub fronte amica fulgurant
 28 Amoris arcani faces,
 29 quas contueri non queo
 30 nec stare contra vel procul,
 31 quin occuper flamma gravi,
 32 miser miser ! quae mollibus
 33 furtim medullis adsilit :

34 non non ocellus, hospites,
 35 ille est et ille, sed faces,
 36 faces Amoris igneae,
 37 quas laeta suscitatur Venus,
 38 quas blanda pascit Gratia ;
 39 quid narium dulcem modum,
 40 vel quid genarum levium
 41 dicam nivem cum purpura
 42 fusam ? Rosam cum lilio ?
 43 Labella quid coraliis
 44 rubore praenitentia,
 45 tam saepe tam longum mihi
 46 mordente pressa basio ?
 47 Quid margaritas dentium
 48 praecandidorum proloquar ?
 49 Linguamque perplexabilem,
 50 utcumque juncto anhelitu,
 51 amanti amantem copulans
 52 festinat ad calcem Venus,
 53 cum suave olentem spiritum
 54 semiulca sugunt oscula,
 55 lenocinante gaudio
 56 subinde murmurantia ?
 57 Mentumve quid tornatile,
 58 gulamque teretem et lacteam,
 59 et qua lacertis millies,
 60 ut arbor hedera incingitur,
 61 incincta cervix est meis ?
 62 Nam quae tibi mamillulae
 63 stant floridae et protuberant
 64 sororiantes primulum,
 65 ceu mala punica arduae,
 66 quas ore toto presseram
 67 manuque contrectaveram,
 68 quem non amore allegerint ?
 69 Cui non asilum immiserint ?
 70 Quem non furore incederint ?
 71 O qui lacerti, quae manus !
 72 quos Juno, quas Aurora habet ;
 73 o quale pectus et latus !
 74 O venter, o crus, o femur !
 75 O qui Thetin decent pedes !
 76 pedes choreis nobiles,
 77 saltatibus mirabiles ;
 78 statu, gradu spectabiles ;
 79 o verba jucundissima,
 80 tam nequiter ludentia,
 81 arguta, plena aculeis
 82 decore suavitudine
 83 dicacitate gratia !
 84 O carminum dulces notae !
 85 Quas ore pulchra melleo
 86 fundis lyraeque succinis,
 87 ut non Thalia blandius
 88 non ipse Apollo doctius
 89 feras canendo mulceant,
 90 fluenta vertant in caput,
 91 et saxa cum sylvis trahant ;

92 o cuncta salsa et dulcia,
93 festiva laeta et mollia,
94 referta amoenitatibus,
95 protervitate lusibus
96 risu joco leporibus !
97 O quicquid est pulchrum et decet
98 puella sola continens ;
99 o praepotens cultu nimis,
100 nimisque non culta placens ;
101 quis te deus mihi invidet ?
102 Quae te mihi fors eripit ?
103 Quo te repente proripis ?
104 Quo, quo fugis, bellissima,
105 risu serenans aethera ?
106 Heu mea voluptas, mel mecum,
107 meum puella corculum,
108 mihi que longe charior
109 lapillis auro purpura ;
110 ac nec lapillis charior
111 auroque solum et purpura,
112 sed spiritu mi charior,
113 sed charior mi sanguine.
114 Memento tu tamen, precor,
115 memento, formosissima,
116 amoris atque compedum,
117 quas a tenellis unguibus
118 mecum tibi circumdedit,
119 heu lacrimis amantium heu
120 suspiriis ridens, Venus.